

Ego Joannes diaconus cardinalis SS. Sergii et A  
Bacchi.

Datum Laterani, per manum Rolandi sanctæ Ro  
manæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii,  
viii Kalend. Maii, indict. ii, Incarnationis Domini  
nicæ anno 1154, pontificatus vero domni Anastasii  
papæ IV, anno primo

## LXIX.

*Bulla Alano episcopo Antissiodorensi data. — Jus ei  
confirmat in abbatem S. Germani.*

(Laterani, April. 25.)

[*Gall. Christ.*, XII, 123.]

ANASTASIUS episcopus, servus servorum Dei, ve  
nerabili fratri ALANO Antissiodorensi episcopo ejus  
que successoribus canonice substituendis in perpe  
tuum.

Quæ a prædecessoribus nostris per judicium vel  
concordiam acta esse noscuntur, in sua volumus  
stabilitate persistere, ut imposterum robur obti  
neant confirmationis nostræ munimine roborari.  
Eapropter, dilecte in domino fili Alane episcopo,  
tais justis petitionibus gratum accommodantes as  
sensem, concordiam quam prædecessor noster san  
ctæ memorie papa Eugenius, super controversia  
quæ agitabatur de monasterio B. Germani inter Hu  
gonem bonæ memorie prædecessorem tuum et di  
lectum filium nostrum Petrum Cluniacensem abba  
tem et monachos Sancti Germani fecisse dignosci  
tur, nos ejus vestigiis inhærentes apostolicæ sedis  
auctoritate firmamus, præcipientes ut in abbatia  
S. Germani sine Cluniacensis abbatis consilio abbas  
nullatenus eligatur; electum vero approbandi vel  
reprobandi canonice, et si dignus fuerit in abbatem  
benedicendi, tam tu quam successores tui habeatis  
liberam facultatem; benedictus autem obedientiam  
episcopo Antissiodorensi promittat. Depositio quo  
que ipsius, si talis, quod absit, apparuerit judiciario  
ordine facienda, et tam abbatis quam monachorum  
canonica correctio ad te nihilominus pertinebit.  
Chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium  
vel basilicarum, ordinationes monachorum vel cle  
ricorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi,  
abbas et monachi S. Germani ab Antissiodorensi  
episcopo tamquam a dioecesano accipiant, donec  
gratiam apostolicæ sedis habuerint. Præterea me  
morati prædecessoris nostri papæ Eugenii statuta  
sequentes, præsentis scripti pagina confirmamus,  
ne quod a præfato Cluniensi abbe de investitura  
per baculum ipsi abbat S. Germani factum est,  
tibi vel ecclesiæ tuæ imposterum præjudicium fa  
ciat, vel aliquod inferat detrimentum, et ne de cæ  
tero abbas S. Germani a Cluniensi abbe inve  
stituram per baculum suscipiat prohibemus. Si quis  
autem hujus nostræ confirmationis paginam sciens  
contra eam temere venire tentaverit, honoris et  
officii sui periculum patiatur, aut extrema ultione  
pectatur, nisi præsumptionem suam digna satisfa  
ctione correxerit.

Ego Anastasius catholicæ Ecclesiæ episcopus.

PATROL. CLXXXVIII.

Ego B. presbyter cardinalis tit. S. Calixti.

Guido presbyter cardinalis tituli S. Chrysogoni.

Umbaldus presbyter cardinalis tituli S. Praxedis.

Aubericus presbyter cardinalis tituli S. Anastasii.

Julius presbyter cardinalis tituli S. Marcelli.

Jordanus presbyter cardinalis tituli SS. Susannæ  
et Felicitatis.

Ego B. presbyter cardinalis tit. S. Stephani de  
Monte-Celio.

Johannes presbyter card. S. Johannis et Pauli tit.  
Pamachii.

Johannes presbyter card. tituli SS. Silvestri et  
Martini.

Imarus Tusculanus episcopus.

Hugo Ostiensis episcopus.

Census Portuensis episcopus.

Gregorius diaconus cardinalis et electus Sabi  
nensis.

Rodulphus cardinalis tituli Lucia in Septa so  
lis.

Guido diaconus card. S. Mariæ in Porticu.

Joannes diaconus cardinalis SS. Sergii et Bac  
chi.

Oddo diaconus S. Nicolai in Carceri Tulliano.

Datum Laterani per manum Rolandi Romanæ  
ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii, vii Ka  
lend. Maii, inductione ii, Incarnationis Dominicæ  
anno 1154, pontificatus vero domini Anastasii IV  
papæ anno primo.

## LXX.

*Ecclesiæ Burdigalensis privilegia et possessiones con  
firmat.*

(Laterani, April. 25.)

[*MANSI, Concil.*, XXI, 783.]

ANASTASIUS episcopus, servus servorum Dei, ve  
nerabilibus fratribus GAUFRIDO Burdigalensi archi  
episcopo, ejusque suffraganeis episcopis Agennensi,  
Engolismensi, Xantonensi, Pictaviensi, Petragori  
ensi, et universis abbatibus per eamdem provin  
ciam constitutis tam præsentibus quam futuris in  
perpetuum.

Quoties aliqua ecclesiarum conditionibus sæcula  
rium virorum per catholicorum principum provi  
sionem eximitur et grata ei conceditur libertate po  
tiri, sanctæ Romanæ Ecclesiæ universorum Christi  
fidelium matri providendum imminet attentius et  
agendum quatenus quod ad honorem Dei et salutem  
Ecclesiæ suæ factum esse dignoscitur, taliter au  
ctoritate apostolica roboretur ut non debeat Eccle  
sia Dei, quæ libertati reddita videbatur, per aliquo  
rum malitiam recidivis denuo conditionibus aggra  
vari. Quemadmodum enim catholica mater Ecclesia,  
etc. nos prædecessorum nostrorum felicis memoriæ,  
Innocentii videlicet, Lucii et Eugenii Romanorum  
pontificum vestigiis inhærentes, nostri favoris asser  
tione firmamus, et ratam et inconvulsam futuris  
temporibus observari præcipimus. Ut videlicet tam  
in Burdigalensi sede quam in alijs episcopalibus